

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Peter Hinckelmann Johannes Upm Dike


**De Anabaptismo Disputatio Elenctica Decima Quarta, Complectens Sectae  
Anabaptisticae Errores refutatos in locis De Iudicio, Et Subditorum Officio**

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737666196>

Druck Freier  Zugang



The image shows the front cover of an antique book. The cover is made of marbled paper with a dark, irregular pattern of light brown, tan, and reddish-brown spots and veins on a black background. A small, rectangular, off-white paper label is pasted near the bottom left corner. The label contains handwritten text in black ink.

P. Kinkelmann.  
R. N. theol. 1613.



(1)	Joh. Hallerius, De SS. scriptura	1613
(2)	D. Dreyzener, De Deo trinitate	1613
(3)	N. Waltherius, De Persona Christi	1613
(4)	M. Strikius, De baptismo	1613
(5)	F. Taurianus, De cena domini	1613
(6)	A. Friderici, De peccato originali	1613
(7)	J. Blantshagen, De ecclesia	1613
(8)	J. Nullius, De ministriis ecclesiae	1613
(9)	J. Sperberius, De ministerio ecclesiastico	1613
(10)	E. Loleius, De justificatione	1613
(11)	L. Gammelius, De bonis operibus	1613
(12)	F. von Bülow, De libertate christiana	1613
(13)	P. Schaeffingerius, De magistrato politica	1613
(14)	F. von Dike, De iudicio	1613
(15)	C. Michael, De coniugio	1613
(16)	D. Nestorius, De jure amanto	1613
(17)	G. Nachanus, De mercatoris	1613
(18)	J. Smoldius, De resurrectione	1613

DE ANABAPTISMO  
DISPUTATIO ELENCTICA  
DECIMA QUARTA,

*Complectens Sectæ Anabaptistica Error-  
res, refutatos in locis*

D.  
JUDICIO, ET  
SUBDITORUM  
OFFICIO.

*Quam*


Divinâ S. S. Spiritus assistente gratiâ,  
*Sub Præsidio*

*M. PETRI HINKELMANNI*  
*Verbi Divini Ministrî,*

*Privatae cœlgm̄ subiicit.*


*JOANNE S. vpm Dicē Femariensis.*

*Nonis Iulij. Horā & loco consuetis.*



ROSTOCHII

Litteris Ioachimi Pedani, Anno 1613.





ΣΤΝ ΘΕΩ.

DISPUTATIO ANTICATABAPTISTICA  
XIV.

DE JUDICIO ET SUBDI-  
TORUM OFFICIO  
CONTINUATIO.



Vàm honorificentissimis elogijs Deus Optimus Max. Magistratum insignire, eiusq; dignitatem expressis mandatis, mirificè nobis commendare voluerit, Pandectæ sacræ testantur; dum suum ad æquatum nomen sibi soli competens, titulum nimirum Deorum (a) (non respectu naturæ sed officij, quod vice Dei in terris quadrantibus Magistratus sustinet) eidem assignavit: Sed turpissimis contrâ, & teterimis κακοδοξίαις hunc ordinem politicum enervare & penitus, quantum in illis est, convellere non erubuerunt πάγκοι illi Catabaptistæ, ut præcedenti συζητήσεi vidi- mus. Neq; tantum hunc ordinem, sed & suis strophis atq; machinis moliti sunt antiquare & evertere Leges, Iudicia, causarumq; actiones forenses, tanquam nervum Magistratus, circa quæ ordo politicus evadebat irritus & planè inefficax. Ut enim Magistratus in Repub. aliud non est, quam mens in animo, anima in corpore, gubernator in navi, Sol in Cœlo, teste Iohanne Caso (b): Sic Leges sunt quasi lingua totius civitatis, & tanquam norma & anima Reipub. quâ regitur bene, vivitur beatè (c). Tum etiam Judicia sunt veluti statera æquitatis, vox legis, omnisq; contentionis ac litis consummatio, in quibus cardo civitatis vertitur, justiciæ vis, perfectio & administratio collocatur (d). Quare nostri muneris est, contra adversarios stare, ne id, quod hic tentant, in actum deducant, sed ut eorum furores quos am-

A 2

bitiosissi-

a) Exod. 22:  
23. Dent.  
20.17-Psal.  
82.1.6.  
Et 86.8.  
Et 95.3.  
Et 35.5.  
Et 136.2.

b) L.4. Sper.  
Civit. cap. 15

c) Idem lib.  
3. Sph. Civit.  
cap. 8.

d) Idem lib.  
4 Sph. Civit.  
cap. 16.

bitiosissimè hactenus præ se tulerunt, omnino covellantur & rescindantur. Erroribus itaq; de Magistratu Politico superiori ov̄ḡr̄j̄d̄ in apticum productis, & hæreticorum dogmatibus nervosè refutatis, nostram hanc de judicio, & subditorum officio subjicientes, ignita jacula veneno fucata, scuto fidei, galea salutis, gladio Spiritus, qui est verbum Dei, quo omne μεθοδείας Hæreticorum confunduntur, σὺν δὲ extinguemus. Ponimus autem more nostro Capita hæc duo. I. De Iudicio 2. de Subditorum Officio.

## CAPUT PRIMUM.

### De Judicio.

#### Error Primus.

Judicijs opus non est.

#### REFUTATIO.

Sicuti in priori de Magistratu politico, ita & in hoc loco nostri adversarij Anabaptista communem errorem errant: quippe qui ordinem civilem divinitus sancitum, furore verè diabolico non tantum euentere minimè dubitant, sed & adminicula, tanquam hujus ordinis instrumenta, per quæ talis status bonâ pace conservatur, è medio, quantum in illis est, tollere aūsunt. Nos contrà firmissimis invictissimisq; scriptura testimonij, exemplis, rationib; stipati atq; muniti, eorum opinione irritas faciemus ac rescindemus.

I. S. S. enim Scriptura ad blasphemum hunc errorem penitus convellendum suppeditat nobis Testimonia, quæ judicia aquæ in Novo ac veteri T. exerceri, imo iisdem opus esse, probant. Deus enim forenses actiones & iudicia politica instituenda non modo jussit, sed & insituita ac servata omnino approbavit in veteri Testamento. Judges & Magistratus, inquit summus Iudex, constituies in omnibus portis tuis ut judicent populu iusto iudicio (a) Et alibi: stabunt ambo, queru[m] causa est, ante Dominum in conspectu:

(a) Deuter. 16.  
18. c. 19. 17.  
c. 25. 1.  
c. 27. 19.

conspectu judicum. Item. Age causam, de qua est controversia,  
inter te & proximum tuum, & secretum alterius noli revelare.  
Et Christus inquit: Quum vadis cum adversario tuo ad princi-  
pem in via, da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad ju-  
dicem, & judex tradat te exactori, & exactor mittat te in car-  
cerem; ubi sic argumentor: Ubi res controversae deferuntur  
ad Principem, Princeps vero ad judicem, judex tandem tradit  
reum & convictum exactori, & ab ipso mittitur in carcерem,  
ibi profecto peraguntur judiciorum forensium, accusatoris, accu-  
sati, judicū, &c. actū: At ex Christi assertione illud verum  
est: Ergo & hoc. Sic & alias S. scriptura, passim ordinem ju-  
dicatorum non esse humanam tantum ordinationem, sed divi-  
nam astrarit.

2. Exempla deinde sāt multa in judicio contendentium occur-  
runt, ex quibz omnino judicijs op̄g esse probatur. Christus ipse suo  
exemplo tūm illustrare, tūm explicationem veram & genui-  
nam de judicijs recte instituendis tradere voluit, quando coram  
Caipha, qui iuxta legem erat judex, cum minister præter juris  
ordinem ipsi dedisset alapam, provocat ad legitimi judicij ordi-  
nem. (b) Eādem protestationis formā, & Paulus Christi præce-  
ptoris & prædecessoris sui vestigijs insistens, suis hostibus respon-  
sionem opposuit defensoriam, dum palam Anania judici jure  
suo restitut, dicens: Tu sedens judicas me secundum legem, &  
contrā legem jubes me percuti. Tum quoq̄ jure Romano gau-  
dens, causam suam contra Iudeos, iudicio cum eo contendentes,  
apologiā quadam defendit. Imò cum videret tribunal præsidis à  
Pontificibus esse corruptum, contrā iniussam sententiam etiam  
legitimi magistratus, est usus subsidio legum, quibus civi Romano  
jus provocandi ad Casarem concedebatur; Sic legitimus de Na-  
both, quod Regi vineam sibi vendi postulanti recte opponens ex-  
ceptionem ex lege Det (c), que prohibet ne hæreditates de tribu  
ad tribum transferantur, vincam suam contra iniquum regis po.

A. 3. stulatum

Prov: 26. 9.  
Exod: 18. 13.  
c. 22. 9.  
Levit: 19. 31.  
2. Par: 19. 6.  
Job: 29. 16.  
Psal: 81. 16.  
Esa: 1. 16. 17.  
Zach: 7. 10.  
c. 8. 16.  
Luc: 12. 58.  
Ioh: 7. 24. 51

) Joh: 18.  
23.  
c) Act: 23.  
3. c. 25. 8. Et  
seqq.  
3. Reg: 21. 3.

c) Nū: 36. 7.

*stulatum defenderit & jus requisiuerit. Sic & vidua ab adver-  
sarijs illatam sibi injuriam ad judicem defert & judicium po-  
stulat. (d)*

a) Luc: 18.

v

3. Rationes porrò pro necessitate iudiciorum satis prægnan-  
tes non desunt. 1. Si enim iudicia exercere non liceret, Christus  
potius debuisset damnare accusantem; & de deponendo & non u-  
surpando gladio magistratus monita suggerere, quam admonere  
subditos, ut caverent, ne incurserent in reprehensionē meritam  
& animadversionem Magistratum. At Christus non damnavit  
accusantem &c. Ergò per cons. Christus nullum iudicium ex-  
ercendum, vel nullas pro tribunali causas agere prohibuit. 2. Et  
si haud nefas est agere Magistratum & judicem, si iudicia sunt  
aqua & legitima, si quis rectè illis utatur, si magistratus est mi-  
nister nobis in bonum (e), ex vi & ratione Correlati sequitur iu-  
dicio experiri & causas in foro agere minimè esse illicitum. 3.

c) Rom: 13.

4.

Quia probi inter improbos, boni inter malos, hoc nostro exulce-  
ceratissimo seculo vitam agere coguntur, ubi maxima scelera-  
torum pars homines religiosos omni injuriarum, fraudum &  
conviutorum genere proscindit & affligit: Deus sua iudicia legi-  
tima extare vult, ex quibus causa dignoscantur & dirimantur,  
ne injuria & sclera in generis humani societate incrementum  
sumant, atq; sic pīj atq; innocentes absq; defensione opprimantur  
ac succumbant. 4. Tum & nulla Ecclesia Dei, legitimis, in re-  
bus ciuilibus, iudicijs penitus antiquitatē & abrogatis, dia stare,  
& rata fixa q; teneri posset. Imò sine ijs nullus ordo ciuilis, sive  
sit iuvaçxnoç, sive àq;çonægenoç, sive dñuonæglxnoç, consideret,  
quia legibus & iudicijs cessantibus, cessat & collabascit quilibet  
ordo vel status poliiticus, quin & Oeconomicus.

f) in 1. Cor:  
6. in idem  
cap: in Epit:

4. His subjungimus Patrum testimonia, qui non cōcedunt, iu-  
dicia & actiones forenses de foro exterminandas, & quasi in  
exilium detrudendas esse. 1. Augustinus inquit (f): Terrenas  
causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam percepe-  
runt,

runt, qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis nego-  
tijs non debent implicari. Ambrosius: Iudicis non est sine accu-  
satore damnari, quia Dominus Iudam, licet esset fur, cum non  
esset accusatus minime abiecit. Hieronymus: Alienum te à per-  
sonis omnium redde in iudicio, ac propter justiciam in iudicio  
pauperem defendas, nec propter gratiam diviti indecenter adsi-  
stas. Anselmus: Quatuor modis iudicium humanum per-  
vertitur, timore, cupiditate, odio, amore. Cassiodorus: Tam diu  
iudex dicitur, quamdiu & justus putatur, quia nomen, quod ab  
aquitate sumitur, per superbiam non tenetur. Isidorus: Qui re-  
cte iudicat & primum inde remunerationis expectat, fraudem  
in Deo perpetrat: quia justiciam, quam gratis impartiri debuit,  
acceptione pecuniae vendit. Gregorius: Iudicare dignè de sub-  
ditis nequeunt, qui in subditorum causis vel odium vel gratiam  
sequuntur.

ad Damas:  
de similitu-  
dine mundi

11.2.201A

in Epist.

In moral.

D: Schlus-  
selb: Ibid:  
fol: 361

### Error secundus.

Non licet Christianis in Iudicio contendere.

#### REFUTATIO.

Quanta furoris vi & dementia impetu in ecclesiâ hactenus  
insultarint fanatici homines, nemini nostrum est dubium, dum  
Thesi ab ipsis ademptâ, hypothesin foras propellere conantur, id  
est, ordine politico amoto, iudicia, leges, actionesq; forenses de  
medio tollere, & ita sub perfectionis colore orbem Christianum  
à Ecclesia confundere nituntur. Sed cum prius de Magistratus, in  
priori vultu, ac posterius, de legum ac iudiciorum necessitate,  
in præcedentia erroris refutatione, sat apodicticè sit demonstratum;  
facilis erit ad hanc questionem responso: Num homini Chri-  
stiano liceat, ac sine acrimoniâ animi & odio sui Antagonistæ  
in foro litigare possit aut debeat?

I. Ad primum questionis membrum; an videlicet homini  
Christiano liceat in iudicio contendere? affirmativè responden-  
dum esse S.S. litera nos edocent: (a) Dum eùs, inter quos fuerit  
causa,

(a) Deut: 19:  
17. cap: 25.

Act. 27.19.  
Iere. 22.3.  
Mal. 3.5.  
Amos 5.15.

causa, interpellare judices & coram ijs stare ambo bus concedunt;  
ut justo iustitia palma detur, impius vero impietatis condamne-  
tur; ei q̄ reddatur, ut fratri suo facere cogitarit, ut auferatur ma-  
lum de populo Dei. Unde & tam non in judicio contendere etiam  
ad iis, viduis, & pupillis denegat, Deus ut potius maledictum  
ei i judicem pronunciet, qui vel ijs judicium deneget, vel per-  
veritatem: Itaq; jubet judicio subvenire oppresso, ac defendere vidu-  
am ac pupillum constituere judicium in porta: judicium verum  
indicare. &c. Quæ & alia his consimilia dicta in priori nostræ  
disputationis classe satis abundè à nobis prolatæ, una cū exemplis  
huc etiam commodè referri possunt, quibus probari potest: Chri-  
stianis in foro litigare concessum esse.

2. Id quod & ex duplice fine, malo & bono satis affatim con-  
stat: malo; si concessum haud sit. Sublati enim ex foro Magistras  
tu, judiciis causarumq; actionibus omnis justicia veritas & defensio  
exulareret, grandia facinora, rapina, cades & alia maleficia ultrò  
citrog; grassarentur, & nemo bona pace suas possessiones tenere  
posset; innocentes & inferiores ab impijs & potentibus oppri-  
mentur, immo omnia imperia & loca a Cœlio & Cycloptica quadam  
barbarie affatim scaterent, nec finis esset calamitatum.

3. Finis vero bonus judiciorum, ijsdem homines carere non  
posse, sed uti debere monet, qui est multiplex 1. ut altercanti-  
um disceptationibus veritas eliciatur. 2. Disciplina externa ob-  
serveretur. 3. Publica tranquillitas floreat, pax in Republ. vigeat,  
emendatio proximi redintegretur, concordia rectius ac firmius  
cum proximo servetur. 4. Auditâ legum & judicis senten-  
tiâ, amor justicie restauretur. 5. Et deniq; Deo gloria, honor,  
& decus ascribatur, cui soli honor debetur, quod sit defensor, la-  
tigator, & conservator vita, honorum, & existimationis, qui ordi-  
nem judiciorum instituit ijs in bonum, males vero ad vindic-  
tam malefactorum. His testimonij S. S. scriptura & rationi-  
bus observatis, stat illa immota & inviolata sententia: Lice-  
re homi-

re homini Christiano in foro legitimè contendere.

4. Ad alterum questionis membrum: An homo verè Christianus sine acerbitate, odio, malevolentia, conuictis, cum adversario secum altercante, causas litium agere possit? Respondemus: Dubium quidem non esse, plerasq; contentiones in foro ex impatientia, odio, & similibus pravis affectibus oriri, cum litigans querit non tam sui defensionem, quam adversarij ignominiam, & lites suscipit, vel studio nocendi, vel libidine quādam rixandi, vel ut animo à vindictā non alieno fatis fiat: Qua lites etiā cum judicijs ac legibus commisceantur, ab illis tamen tanquam legitimis causis divinitus datis non proficiuntur, sed ab hominum vīto & perversitate. Quare easdem etiam cum adversarijs sine acerbitate & malevolentia suscipi haud posse constat. Contrà verò hisce sanatis, quando pacū, veritatis, charitatis conservanda gratia, actiones suscipiantur; sine odio & conuictis cum adversario suo homo Christianus causas litium agere potest. Talia enim conditio contentionum secundum D. Philip-pum Melanth. multas in benē moratis virtutes complectitur. Cum bona mens litigans, subiçiat se legibus, judicijs, ac Magistribus. Et D. Lutherus ait: Non vindictam querit litigans, privatam, qua & prohibita est, sed publicam, qua & instituta & manda ta à Deo tibi in bonum.

5. Falso vero illi Aristarchi coram judicio causas discepare simpliciter putant esse prohibitum, dum nonnulla scriptura dicta (b) in sensum deserquent alienissimum & improbissimum, quasi ijs Christus plane iudicia instituenda esse vetuerit, neminiq; concesserit, in foro judicio experiri. Dicta enim illa à nostris Antagonistis mota, perspicue loquuntur de malo iuriarum, de utilione & vindictā privatā, ut homo Christianus ad ignoscendum quam ad vindicandum sit promptior & alacrior.

6. Ad dictum verò Pauli quod attinet, quo se palmarium reperire auturant; et si demus eum expresse & palam suos

b) Matt. 5.  
40. Luc. 6.  
29-30. cap.  
12. 13. 14.

Corinthios de nonnullis judiciis inter eos exercendis increpasse  
 & redarguisse, quando sic ait (c) Jam omnino delictum est in-  
 vobis, quod judicia vel lites habetis inter vos. Cur non potius  
 injuriam patimini? &c. q. d. Sunt omnino quadam causae, &  
 quidem contentiones leves, que duntaxat victimum concernunt,  
 ubi satius esse arbitror, patienter quasdam injurias ferre ac de-  
 vorare, & potius Deo rem totam commendare, quam de eis ad-  
 modum minimū coram judicio politico, cum majori dispendie  
 suarum rerum & aliorum tedium ac molestia disceptare: tamen  
 non contradicit Apostolus nostra vera & Orthodoxa sententia,  
 quasi agere causam in foro, querere finem controversiarum a-  
 pud magistratum simpliciter esse peccatum affereret, & univer-  
 saliter omnia judicia constituenda & exercenda reprehenderet  
 & damnares, sed quod primò ob res sapè aniles & frivolas, aut  
 certè composita faciles, protinus ad odiosam illam litigandi rati-  
 onem defunderent, & sine ullā patientiā & condonatione litem  
 fratribus intenderent. 2. Frequentem judiciarum strepitum,  
 aut nimias forenses contentiones minus decere hominem Chri-  
 stianum, Paulus hic probat. 3. Et quod lites suas infidelis magi-  
 stratui proponendo, doctrinam ipsam Evangelij non sine magno  
 scando hostium infideliū ludibrio cauillūg exponere malles,  
 quam coram probis ac bonis viris in Ecclesia rem prius cognoscis,  
 ut eo melius contentiones istas minus necessarias inter se pos-  
 sint componere, reprehendit. 4. Deniq̄ quia in judiciis peccata  
 Christianorum ingenti cum offendiculo coram infidelibus mani-  
 festa reddebantur, & ita ecclesia obtrectatoribus occasio, quam  
 alias quarebant, prabebatur, ut scilices specie aliquā pios Chris-  
 tianos in vexationem detrudere, & tandem suppressione possent,  
 potius injuriam pati, quam per Magistratum ulcisci vult Apo-  
 stolus.

### Error Tertius.

Ius dicendum in Repub. ex Revelationibus, & ex Bi-  
 blijs hoc est juxta leges Mosaicas. REFU:

Thomas  
Muntzer.

## REFUTATIO.

*Idem olim Carolstadio, duci & coriphao Anabaptistarum visum fuit, etiamnum in Cinglianorum scholis suos habentii assertas: (a) qui omnes leges ab Ethniciis fixas damnabat, contendens ius in foro ex Moyse dicendum esse. Et inde propositum ejus sententiam eandem foverunt, afferere non reformidantes: Leges forenses Mosaicas omnes in usum politiarum Christianarum post liminio reducendas esse; Quod jam tantum (cum de revelationibus, quarum error mentionem facit, superius (b) satis actum) illis sic abire non permittemus.*

**1.** Nam Christianos ad leges forenses Mosaicas in N. T. non modo non amplius alligatos, sed & ius dicendum esse in Republ. ex imperialibus & alijs presentibus nostratium Magistratum legibus (uti Confessio Augustana loquitur (c)) satis superque ex S.S. Scriptura evinci atq; elici potest. Quod enim ad pri-  
mum, nos nimis non esse amplius sub N. T. ad leges forenses Mosaicas alligatos, hisce S.S. scriptura dictis probatur. Christus inquit (d.) omnes Prophetæ & lex usq; ad Iohannem. Et Apo-  
stolus Christum medium parietem materia soluisse, legemq; mä-  
datorum in decretis sitam evacuasse, scribens, abrogationem le-  
gum Mosaicarum etiam forensium notare vult. Quam & haud  
obscure hisce Testamenti sui verbis Patriarcha Iacob indicare  
voluit, inquiens. Non auferetur sceptrum de Iuda, neq; legislator de medio populi eius, donec veniat Siloh. Hoc ergo adveniente, sequitur, legistatem in Iuda cessasse, & nullas leges pra-  
scriptissime. Id quod & concilium Hierosolymitanum hoc decreto suo comprobat: visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere  
vobis oneris; quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab immola-  
tio Simulachroru & sanguine, & suffocato, & formicatione: a qui-  
bus custodientes vos ipsos benè agitis. Quo decreto suo Apostoli  
ab omni Mosaico gravamine gentes vindicantes, legem illis im-  
poni penitus vetant.

B 2

2. Quod

a) Philippus  
Melanth. in  
Epist. ad  
Mycon.

b) Disput. 1.  
c. i. Er. 5.6.

c) Art. 16. de  
trad: hum.  
vel de or-  
din. politic.

d) Matt: ii.  
13. Eph: 2.  
14. 15. Gen.  
49. 10. A&E.  
15. 28. 29.

2. Quod & probant & illustrant egregia Ethnicorum exempla, quibus conversis, vergente ac stante politia Iudaicâ, leges Mosaica non impositae sunt, sed potius leges fori retinuerunt, quales fuerunt Nabuchodonosor, Cyrus, Darius, Nini vita, & horum similes. Sic neq; ceteris gentibus, temporibus Apostolorum conversis, non tantum non mandatas eas leges Mosaicae ed etiam prohibitas legimus. Quo magis itaq; Christo adventante, abrogata, eò minus quoq; hoc tempore illis obligati & obstricti nos tenemur.

3. Et sane licet leges ceremoniales & forenses tantum ad politia Mosaica constitutionem traditæ, quoad genus seu morale & naturale in N.T. adhuc manserint, jam dudum tamen illas, secundum speciem seu circumstantias cum iotâ politia Mosaica extintas & abrogatas esse, hinc colligere promptum atq; manifestum est: quoniam sic erant comparata, ut externa essent yrcaenæ populi circumcisæ, ex quo Messias nascendus expectareatur; & pleræq; ad unum & solum populum Israëliticum erant directæ. Ad terra Cananæ circumstantias lociq; conditiones adiquata, non ut essent perpetua, sed ut ad certum tempus durarent, qua alias extra eius regionis pomaria neutiquam observari possent. Cujusmodi sunt, qua de distinctione tribuum, de Levitarum decimis &c. tractant, & plures alia, qua vel in usum reuecari non possunt, quia nec ad nostra tempora, aut nostrorum hominum capti vel ingenia quadrant; vel non debent etiam revocari, ut lex(e) demuliere nabente post mortem defuncti fratris fratris superstici. Unde illarum promulgationi ista conditio fuit adiecta: In familijs vestris, & in cognationibus vestris.

4. Alterum: ius nimirum dicendum esse in Repub. ex imperialibus & alijs municipalib; magistratus legibus, q; obremperandum esse, satis superq; etiam ex sacris demonstrari potest. Quando enim Apostolus inquit (f): Omnis anima potestatibus supereminentibus subditæ sit. Item: necessitate subditi esto non solitus

(e) Deut. 31.5  
Gen. 38.8.  
Matt. 22.24

(f) Rom. 13.  
1.3. Tit. 3.1.  
1. Pet. 2.13.

Solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Et cum jubet Titum admonere suos, ut principibus & potestatibus subditi sint, dictoq; obedient: vult ut omnes Christiani, cuiuscunq; tandem ordinis ac dignitatis, legibus ac statutis a civili suo Magistratu conditis, dum modo ea, quas in sua quisq; repub. sancit Magistratus, legi divina & natura consentaneae sint, se submittant: atq; hac imperata subiectione omnes leges imperiales ac municipales legitimas confirmar. Quod & ex D. Petri manda-  
so constat, qua jubet, ut omni humana ntitati ordinationi, autoritate humana sancta subiecti simus.

s. Porro legibus gentium & constitutionibus municipalibus in foro nostro uti, licitum esse probatur hisce rationibus. 1. Quia Evangelium non abolet politias, teste Augustinam confessionem (g). 2. Et leges Mosaicae civiles ad unum populi determinatae, ut dictum, sermè expirarunt, in quarum locu leges municipales & ius Romanum surrogatum est. 3. Quia ius Romanum in S. S. Scripturâ fundatum, & ex eâ exstructum, omnino divino juri ad normam & perpendicularum tunc usus, tunc efficacia vel argumenti responder. & è diametro alterum alteri oppositum nusquam videtur. 4. Tunc & S. S. Scriptura jubet, ratio postulat, aequitas suadet, consensus probat, ut propter Magistratus autoritatem a Deo conces-  
sione ei à nobis obedientia meritissimè debeatur.

## CAPUT SECUNDUM.

### De Subditorum Officio.

#### Error Primus.

Subditi non debent impensis Magistratibus obtemperare.

#### REFUTATIO.

Substrato ac examinatu materijs, cum de RE cum de Perso-  
nis Magistratum in antecedenti Disputatione, & præcedenti  
capite, quibus Antagonista planè sunt convulsi: Superest iam,

B 3

ut offi-

Thomas  
Munzer

ut officium ac obedientiam subditorum erga Magistratum tam  
pium, quam impium cum Deo explicemus & excutiamus.

1. Quia obedientia partim in interiore cordis affectu, partim  
in officijs externis, consistere videtur. Ad illum, cordis affectum,  
requiritur & filiarum gemitus Dei in bono, & pugna tanquam  
flagellum ejusdem in malo, (a) in utroq; S. Scriptura insigni-  
ter nobis mandat, ut Magistratu reverentiam exhibeamus, &  
de illo honorificè sentiamus, & tanquam patrem patria honore  
prosequamur. Ad hæc officia externa, pertinent & res mere ci-  
viles, ut vectigalia ac tributa; & in sacris conventibus oratio-  
nes, gratiarumq; actiones pro regibus & omnibus illis, qui in  
eminentiori loco constituti sunt, (b) & cum primis vel pro impijs  
ut Deus eius animum immutare velit, ut vitam atq; mores suos  
juxta normam, & amissim Decalogi recte dirigat, vel si no-  
lit animum, à sua tyrannide & impietate deflectere, contra il-  
lum, ut Deus tyrannidem eius coercere atq; à Christi ovili, quod  
est Ecclesia, auertere dignetur,

2. Hinc non improbat Christus, sed magis confirmat. Ethni-  
ci, id est, impij Magistratus officium, dum dare jubet Casari qua-  
sunt Casarijs (c); & Pilato quoq; nimium sibi tribuēti, suggestit, su-  
am potestatem cœlitus illi datam esse. Sicut itaq; pius Magistratus  
est persona à Deo ordinata, ita & de impij & profano Magistratu  
idem accipi & concludi potest. Id quod & Apostolus docet, dum  
inquit: non est potestas nisi à Deo. Propter idem itaq; divinum  
officium, quod impius cum pio Magistratu gerit, subditi non mi-  
nus illi quam huic obedire tenentur, sed ita tamen, ut cum Augu-  
stino recte distinguant Dominum eternum à Domino temporali,  
& Deo magis quam hominibus obtemperent.

3. Tum & Christus & sancti Dei homines, quorum actio no-  
stra haud immerito esse debet institutio, Romano jure freti, &  
firmiter nixi non reformidarunt, iuxta normam & regulam  
Ethnicorum statutorum vitam suam instituere, (d) Christus  
enim

a) Rom. 13.

1.7. Prou. 24.

21. 1. Pet. 13.

17.

b) 1. Tim. 2.

1. 2.

c) Matt. 22.

21. Ioh. 19. 11

Rom. 13. 1.

d) Matt. 17.

27. Act. 13. 7

suis enim pro se & Petro magistratui didrachma persolvit. Et  
Paulus Sergium Proconsulem jure Romano utentem non redar-  
guit. Quin & ipse privilegijs & παρόνται ad ius Casareum ap-  
pellandi in propatulo defunctus est, atq; coram Fisco ad tribunal  
Casarii stare & judicari voluit. Johannes Baptista militiam Ro-  
manam approbavit; cui & praesuerunt illi centuriones, quorum  
fides in sacris describitur, & insigni elogio depradicatur. Idem  
quoq; legitmus de & Ethiopia Eunicho, qui ad fidem conversus  
Christianam, am strenue confitens, non tamen legibus Masaicis  
se subiycere, sed potius Candaces Regina & Ethiopiae praefectus  
manere voluit. Quin & Iudei tempore captivitatis Babylonicae  
ante Christi adventum Magistratus peregrini & Idololatrias le-  
gibus sese submittere cogebantur, immo jubabantur; quod & Da-  
niel cum socijs ulterò fecisse legitimus. Quanto magis ergo nos  
presentium Magistratum Christianorum legibus subjectos es-  
se decet.

4. Subditi itaq; impio quoq; Magistratui obedire tenentur, li-  
cet, quatenus ejusmodi est, non sit à Deo, qui est boni autor &  
fons bonitatis; aquæ tamen gubernacula tenet & habet à Deo, at-  
quæ pius Magistratus, & ex aequo ad ordinationem Dei pertinet,  
cui resistere nefas est, non quidem solum propter iram & metum  
pæna sed propter conscientiam, qua inobedientia violatae Dei  
ordinationis rea fit, & meretur iram Dei (e), exceptis eiusmodi  
rebus, qua legi Dei dissentaneæ sunt, in quibus non parere illis  
licet, quia illius potestas est litimata & circumscripta certis le-  
gibus, & non indefinita: attamen non Magistratui seditione rebel-  
lare, & ita magnas turbas ac seditiones contra illum mouere  
debent subditi, quia omnis seditione est periculosa, & nunquam im-  
punita manet (f). Quando itaq; iniqua à subditis exigit, & in-  
justa onera illis imponit, & ita modum sui officij excedit Magi-  
stratus, non tamen datur subditus facultas, nego, causa justa se-  
ditione se opponendi, sed potius illa iniqua & injusta onera ferrre  
coguntur.

f) Num:16.  
31. 2.Sam.  
18. 9.c.20.22  
1. Reg. 2. 4.11  
42.c. 16. 18.  
2. Reg. 42.  
20. Act:5.36

g) Conclu-

cap: 16.37.

c.22.25.

c.25.10.

Luc:3. 14.

Matt. 8. 5.

Luc:7.2.

Act: 10.1.2.

c.8.27.Ier.

25.11.c. 27.8.

12.c. 29.7.

Dan.1. 19.

20.c.2.48.

49.c.6.3.39.

5. Concludimus auctoritate Augustini: Qui quamdiu, inquit, in ea traditione Magistratus est, scilicet ordinis, in quo positus est a Deo, honor andwest, si non propter se, tamen propter ordinem. Idem. Hinc est, quod gentilem in potestate possum, honorificans, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinationem tenens, gratias agit Diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. (g) Idem; Si aliud imperator, & alius Deus; quid judicatu? Solvere tributum, esto mihi in obsequium. Recte quidem, sed non in idolo; in idolo prohibes, quis prohibet? major potestas, da veniam, tu carcerem, ille gehennam minatur. (b)

### Error secundus.

Homo Christianus à Magistratu ad arma vocatus, militare non potest.

### REFUTATIO.

Illud hoc errore Anabaptista intendunt, dum subditis à Magistratu ad arma vocatis, parere interdicunt, ut sic in proposito suo Magistratum invadendi ac opprimendi magis pergere, ac minus resistentia habere possint. Cum autem Error hic cum ultimo prioris disputationis, quò Magistratui bello interdicunt, quasi unam buccinam inflans, & penè ysdem rationum propugnaculū convelli posset, paucissimis tantum delibare, eum libet.

I. Milites bonos, & optimos quosq; Christianos ad bellum gerendum accitos, Deo Opt: Max: tanquam summo imperatori & belligero præstantissimo, cui primùm per suum Chiliarcham Mosen bellum gerendi peritiam ac modum (a) prescribere placuit, non displicere, probatur dicto Christi jubentis, (b) dare Casari, quæ sum Casarū: quò significatum voluit, quia Magistratus legitimi & ordinarij officium sit, ut pro cultu DEI & religione Christiana ac subditorum pace & salute conservandâ acerrime pugnet, citra verò bellandi actiones id fieri non possit, optimum quemq; Christianum, salvâ salutis anchorâ, militia opera exercere, & jubente suo Magistratu, arma capere posse ac debere.

Idem

g) in quest:  
V. & N. T.  
q. 35.

b) De verbo  
Dominii os  
adum Mat.  
serm. 6.

vide Enchir  
M. Luc: O-  
fhand, cont.  
Anab. c. 10.  
q. 1.

(a) Deut. 20. 1

b) Matt. 22.

21.

Idem quoq; omnibus illis supra notatis dictis, quibus obedientia debita Magistrorum præcipitur probari potest.

2. Tum & exempla S. Scripturæ quam plurima errori contrarianatur (c). Moysi enim ex mandato Domini filii Levi præcipienti, ut præcingerent se ense ad interimendum proximum suum, eisdem obtemperasse legimus. Sic etiam servi Abrahæ ad mandatum Domini armatâ manu captivum locum ex manibus Regis Sodomorum liberarunt. Sic electi vires alojna ex mandato Moysis, egressi sunt ad pugnam contra Amalekitas. Sic armati vires ad pugnam, à Moysi secundum verbum Domini, pugnarunt contra Midianites. Sic tota Israelitarum multitudo Duxem Iesuam sequens terram Chanaan debellatis & extrusis incolis occupavit. Et Israelitas, iudicibus à Deo exercitatis, ut liberearent eos de manibus hostium suorum, arma imperantibus, paratos fuisse, ad se in libertatem vindicandum, totus liber iudicium testatur. Quemadmodum & omnes libri Regum, ~~πρεσβυτέρων~~, Machabœorum &c. hanc obedientiam Regibus & Ducibus bella legitima indicentibus, à suis subditis præstam fuisse tradunt. Qui non tantum nunquam propterea reprehensi, sed maximam partem à Deo id facere iussi sunt.

c) Exod. 32.  
27. Gen. 14.  
14. Exod. 17.  
9. 10. Num.  
31. 3. 7. Joh. 1.  
14. 16. c. 3. 6.  
C. 24. 25.

d) Matt. 8. 9.  
Luc. 3. 14.  
Act. 10. 1. 43

3. Quin & Christus (d) Centurionem illum, qui se sub potestate constitutum dixit habere & sub se milites admodum dicto obedientes, non propterea reprehendit, sed potius suam fidem omnium Israelitarum fidei longè præstulit, & sic suam suorumq; quam in militiâ præstiterunt obedientiam, approbavit. Sic & modum belligandi militibus præscribit Baptista Iohannes, quando ait neminem concutiatis, nullæ calumniam faciatis, contenti esto et stipendijs vestris: quibus verbis virata vult vitæ militum, rapinas, concusiones, injurias, quæ solent innocentibus inferre, vi aut fraude, vel in persona, vel in bonis: Non verò ipsum vitæ genus improbat, quod non fuisseisset, si impium aut injustum, stipendio militare judicaret. Et centurio cohortis Italicae in suo vitæ genere, cum totâ domo prædicatur religiosus, & Deum timens, nec ab Apostolo Petro, qui post conversionem & perceptum baptismum aliquot diebus apud eum mansit, propterea, quod nomen militiæ decesseret, reprehensus legitur.

4. Deniq; notatu digna Patrum suffragia, quod stipendia merere liceat. Augustinus, militare non est, inquit, peccatum, sed propter prædam militare est peccatum, id est quadam providentiâ militibus stipendia constituta sunt, medium sumptus queritur, præda græscetur. Idem. (e) Apud veros Dei cultores

in lib. de  
verb. Dom.

C.

etiam

etiam bella parata sunt; quae non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, mali coercentur & boni sublevantur. Cassiodorus: Ars bellandi, si non præluditur, quam fuerit necessaria, non habetur. Discat ergo miles ocio, quod perficere possit in bello. Vegetius: Iuuentus, cui defensio provinciarum, cui bellorum est committenda fortuna, & genere, si copia suppetat, & moribus debet excellere. Idem. Nihil neq; firmius, neq; felicius, neq; laudabilius est Republica, in qua abundant milites eruditii.

### Error Tertius.

D. Schlüfs:  
cat: Hær:  
lib: 12. f. 708.

Renati & credentes in Christum non tenentur amplius servire, aut dicimas & census annuos persolvere.

### REFUTATIO.

Duo continetur in hoc errore membra. 1. Renatos ab omni servitute erga Magistratum esse immunes, quia credant in Christum; iuxta dictum Christi perperam ab ipsis intellectum: (a) a) Ioh: 8. 36. Si vos filius liberavit, vere liberi estis. 2. Reditus annuos, aut decimas Magistratu persolvere eisdem non teneri. Nos singula carpiim refutabimus.

b) Mat: 6. 24. Quod itaq; ad primum; præter illa dicta de subditorum obedientia magistratu suo ex mandato & debito prestanta, superius notata, injuper plura alia tum in V. que consulto præterimus, tum præsertim in N. T. servorum statum & conditionem describentia occurront (b). Christus enim aliquoties similitudinibus, de servi sumbris in suis concionibus, eorum certè officium describere ac confirmare voluit. Tum & illud mandatum, ut servi obediant dominis carnalibus, non tantum aquis, sed & discolis cum timore & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo & Domino, & non hominibus &c, subinde ab Apostolo Paulo repetitum; & D. Petro inculcatum legimus. Unde contra errorem renatos & credentes non tantum bona conscientia posse, sed & debere ac teneri officio seruorum fungi, concluditur..

c) Gen: 39. 8. c. 24. 10. 12. Mat: 17. 27. Quod & dicitant nobis exempla sacrarum literarum (c): Iosephi, qui fuit vere renatus & omnem suam fiduciam in Deo collocavit, & liber a suo patre

patre libero pronuntiatus, & tamen post venditionem & captivitatem Regi  
Ægyptio servire non recusavit. Eleazar, qui quoq; in semen Abrahæ pro-  
missum verè credidit, & tamen in Abrahami Domini sui manibus ac dominio  
esse nullus dubitavit. Sic & Christus servator noster, qui est liberissimus,  
à quo omnia nostra libertas pendet, suumq; fulcrum habet, non tamen ipse cum  
Petro renato jugum servitutis Capernaitice excusit, immo de se ipso affirmare  
non dubitauit, se non venisse, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret,  
undè & seipsum ministrum appellat, quem & lotione pedum reipsā egit. Sic  
de Centurionibus legimus, quod pios Deum timentes, ac dicto obedientes, ser-  
uos habuerint.

3. Dictum verò Christi, tūm & alia de libertate Christianā quod attinet,  
dum ea aduersarij male ad suum sensum detorquent, ludunt vocabulo Liber-  
tatis Christianæ, quam consistere scimus in tribus his e gradibus. 1. Est  
libertas à servitute peccati, à qua Christus nos vindicavit; quippe qui liberati  
sumus à peccato, servi facti sumus justicie (d). Ad quam Christi dictum  
paùlo antea nobis allegatum, referri debere, ovēterice textus ostendit. 2.  
Consistit in liberatione à totâ lege & politiâ Messica, de qua Christus loqui-  
tur, inquiens: Lex & Prophetæ usq; ad Iohannem. 3. Intelligenda illa li-  
bertas de liberatione à servitute traditionum humanarum, à quibus sumus  
liberi(e). Perperam itaq; ratiocinantur Antaganista à Spirituali & Christianā,  
ad libertatem civilem vel carnalem, qua mancipium à Domino suo  
manu mittitur.

4. Alterum deinde membrum erroris, quo negant census annuos Magi-  
stratui teneri subditos dare, vel unico hoc Christi, ad interrogatum discipu-  
lorum: Pharisæorum cum Herodianis, an liceat censum dare Cæsari an non?  
responso Cathegorice ad interrogatum accommodato, cui membrum illud  
erroris Δέρπηντη repugnat, prorsus annibilatur (f): Date Cæsari, que sunt  
Cæsaris; scilicet non tantum omnia illa, quæ subditi Magistratui suo debent,  
complectens, sed maxime ad propositam interrogationem in ipsum censum  
dandum, digitum quasi intendens. Cui additus illud Apostoli: Ideo &  
tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite  
ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.

5. Insuper exempla nobis imitanda, que immunitatem à censu Magi-  
stratui dando in errore promissam, nobis non permittunt, proponuntur (g).  
Christus enim pro se & Petro solvit tributum, cum non teneretur, sed ob cau-

c. 20. 28.  
Luc: 22. 27.  
Ioh. 13. 5.  
Matt. 8. 5. 9.  
Ioh. 4. 51.  
Act. 10. 20.

d) Rom: 6. 13.  
Matt: 11. 13.  
Gal: 5. 1.

e) Esa: 29. 13.  
Matt: 15. 9.  
Col. 2. 8. 22.

f) Mat. 22. 6.  
Rom. 13. 7.

g) Matt. 17.  
25. 26. 27.  
Luc. 2. 1. 2.  
Gen. 14. 20.

sem indicatam Petro; ne scandalizemur eos: quod exemplum nobis relinqueret  
ipse, quid nos quantumvis suis liberos, attamen ratione civilis obligationis  
minime liberos, ad evitandum scandalum, facere velit. Sic & de Iosepho  
& Maria legimus, quod editio Cesaris, quantumvis primo, de profundiis  
nominibus Israelitearum, & exigen do ab ijs tributo, obedire minime detre-  
ctaverint. Sic Abraham decimas de omnibus suis bonis dedit Melchizede-  
cho. Et de regibus sum Israelli, tum Iudea passim legimus, quod tributari  
exterorum Monarcharum facti sint.

- (b) Pet. 2. 13.
5. Rationes deniq; pro censu ac tributo Magistratu dando haec ovdñ Bð nō  
notari possunt. 1. Petrus iubet, omni divina ordinationi (b) obedire: Ac  
exactiones ac tributi sunt etiam a Magistratu ordinata: Ergo. 2. Ex na-  
tura correlati; si obedire ac servire Magistratu, ut ante probatum, tenen-  
tur subditi, etiam in persolvendis impositu tributis reluctari minime debene.  
3. Præsertim cum illa vel maxime ad gubernationem requirantur, up-  
te sine quibus eadem aut geri aut subsistere minime posset. 4. Tum  
quoq; quia eorum (tributorum) persolvitorum utilitas, vel maxima in sub-  
ditos redunders, dum ijs ceu nervis, secundum Ciceronem & Alpianum,  
Reipublica, eiusdem pax & tranquillitas conservetur, boni defendantur  
ac mali coercantur. Gc. Equum itaq; & justum est, ut pro tanto Ma-  
gistratus beneficio, exiguum tributi portiunculam subditi repandant. 5. Un-  
de si aliquod conmodum Magistratus quoq; sentiat, secundum illud Christi:  
dignus operarius mercede (i): eodem quoq; pro sua opera es-  
summis, que in gubernatione illi devoranda  
sunt, molestis, omnino dignus cen-  
sundus est.

(i) Mai. 10. 10






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn737666196/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn737666196/phys_0023)

**DFG**



præsenti hoc errore pronunciet, qui & olim suæ  
auctores partim propagatores in Ecclesia ma-  
Originem & Alexandrina Ecclesiæ antisitem  
Palestinæ; & nunc iterum resuscitatus à nonno-  
rum in proscenium educitur, palliatur, com-  
impij hujus dogmatis absurditas eò magis inno-  
literarum & rationum stateram examinanda

1. Contrariantur illi scripturae dictæ ea, qua  
diabolorum & hominum damnatorum aeterna  
desituras esse perspicuè confirmant(a): quæ ve-  
morientem afferunt: Iram Dei mansuram sup  
esse ignem inextinguibilem, interitum aeterni-  
tum, iudicium sine misericordia, pronunciatum  
extremo dñe abiectum maledictos in supplicio.  
Quod si itaq; homines damnati usq; in aeternum  
lumen & Diaboli in secula seculorum crucia-  
tandem erunt salvandi, aut quis finis penit ipsi?  
Nq; est, ut quis cavilletur, vocabulum aeterni-  
litam sine fine perpetuitatem, sed periodicam  
temporis limitatam diuturnitatem denotare. In  
questione accommodari non potest: siquidem  
quam convincetur, quod pænae damnatorum  
ræ sint, sed potius constat, nullam mutationes  
summi iudicis, quo ad statum rerum futuram  
aeternum, simpliciter in propria significatione  
quid assumitur, profigmento reputamus.

2. Deinde & rationes contra prodigiosum hab-  
tant. I. Quia damnatorum peccata mortaliæ  
temporalia violant & contemnunt aeternum &  
videlicet Deum, & aeternam vitam; iustissime  
aeternis penit puniuntur. Cum enim duplex si-  
cundum intentionem acerbitatu, & secundus



- mis  
in-  
sta  
d ut  
arū  
m-  
m-  
non  
eis  
a  
n in  
E c.  
um  
odo  
tur:  
bso-  
uodā  
buic  
s nū-  
ntu-  
iam  
nos  
quic-  
mili-  
p &  
onū,  
s &  
a se-  
rē-  
poris  
a) Esa. 66. 24.  
Ioh. 3. 36.  
Matt. 3. 12.  
2. Thes. I. 9.  
Hebræ. 6. 2.  
Iacob. 2. 23.  
Matt. 25. 41.  
Psal. 49.  
Apoc. 20. 10.